AUTHOR:

HELM, RUDOLF W. O.

TITLE:

DE PAPINI STATII THEBAIDE...

PLACE:

BEROLINI

DATE:

[1892]

Master Negative #

92-80467-13

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Helm, Rudolf, Wilhelm Oskar, 1872-
De P. Papini Statii Thebaide, particula prior; dissertatio inauguralis philologica quam... publice defendet auctor Rudolphus Helm... Berolini, Apud Mayerum et Muellerum prostat, [1892]
31 p. 21 cm.

Thesis, Berlin, 1892.

VOLUME OF PAMPHLETS

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 2-28-92 INITIALS M.P.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE P. PAPINII STATII
THEBAIDE

PARTICULA PRIOR

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE V. M. AUGUSTI A. MDCCCXCII

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

RUDOLPHUS HELM

BEROLINENSIS

ADVERSARII ERUNT

CAROLUS KALBFLEISCH, DR. PHIL. RENVNTIANDVS
OTTO PLASBERG, DR. PHIL.
ROBERTUS FUCHS, DR. PHIL.

BEROLINI
APUD MAYERUM ET MUELLERUM
PROSTAT

JOHANNI VAHLENO

PER OCTO LVSTRA

PHILOSOPHIAE DOCTORI

DIE XI. M. AVG. A. MDCCCXCII

SACRVM VOLVIT

DISCIPVLVS PIENTISSIMVS

Quamquam non ignoramus memoriae potius et diligentiae quam sagacitatis et ingenii esse imitationes poetarum ostendere atque quasi cornici alienas pinnas et pavoninas evellere nobis videmur, tamen ad indicium recte faciendum de quolibet scriptore quaerendum esse putamus, quae exempla et quomodo secutus sit. quas quaestiones ut de Vergilio vel veterrimi grammatici instituerunt, quorum operum reliquiae nescio an in Macrobii Saturnalibus supersint, ita de Statio, quem nobis tractandum proposuimus, quamquam et omnes aequales et homines medii aevi eum maximi aestimaverunt Vergilioque non semel aequarunt, similes habitas esse compertum mihi non est; nostris autem temporibus qui vixerunt viri docti, non omni ex parte eas confecere, cum aut in pauca verba aliis poetis similia colligenda laborem conferrent aut unum poetam eligerent, quocum Statium compararent, et ii quoque falsa opinione ducti, ut scilicet ex sola nonnullorum verborum similitudine certi aliquid concludi posse putarent; quos suo quemque loco commemorabimus. unum O. Muellerum afferimus, qui in Thebaidos editione,[1]) quae quod sex tantummodo priores libros complectitur dolendum est, quam diligentissime et ad poetas quam plurimos conversus imitationes adnotavit, ita tamen, ut ipse quoque, quia breve editionis spatium postulabat, versus similes, non sententias aut narrationes afferret. qua de causa etiamnunc operae pretium esse censemus omnia, quae alii aliis locis verisimilia de Thebaide, Statii maximo carmine, protulerunt, una cum eis, quae nos primum cognovimus,

[1]) P. Pap. Stat. Theb. et Achill. cum scholl. rec. O. Mueller Lps. 1870.

componere propriam viam ingredientes atque eam quidem, ut ex similitudine sententiarum profecti verba, siquae similia sint, perspiciamus, in verbis autem solis, nisi quo loco poetam mutuatum esse quivis facile concedat, non acquiescamus.

Habebat enim Statius, cum Thebaidem scriberet, quos sequi posset et in rebus exponendis vel describendis et in genere dicendi, quia non modo Graeci, verum etiam Romani poetae de eisdem fabulis egerant. ac primus quidem, ut Thebaidem epici quem vocant cycli omittamus, Antimachus Colophonius[1]) de rebus Thebanis perlongum composuit opus. quo morem poetarum, qui cyclici[2]) appellantur, secutus inde ab Agenore usque ad Adrasti nepotem in regnum Aetoliae restitutum utrumque bellum Thebanum explicavit;[3]) quod ad opus Horatius respexisse videtur in ep. II 3, 146 sq., cum talibus poetis opponeret Homerum, qui *nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri nec gemino bellum Troianum orditur ab ovo.* ex fragmentis tamen quae perpauca exstant conicere licet nec res, quae ad Agenorem et Thebas conditas neque quae ad Meleagri fabulam pertinent, eodem tenore tractatas fuisse, quo bellum ipsum: nam non modo illas primo libro finitas, hanc inceptam esse ex Antimachi[4]) fragmentis 6 et 7 apparet, quae in primo libro lecta esse testatur Priscian. VI 92: *Τύδης τ'Οἰνείδης* et *τὸν καὶ φωνήσας προσέφης. Οἰνῆιε Τύδη,* cum in rebus mere Thebanis illius mentio fieri vix potuerit, sed etiam verba, quae in frg. 9 (Apoll. Dysc. de pron. p. 373 C) traduntur: *ἀσπασίως τέ σφω ἄγεν οἴκαδε,* cum in primo libro scripta fuisse dicantur, nescio an ad hospitium Adrasti referenda sint,[5]) quod Statius Theb. I 510—12 exorditur his verbis:

[1]) Cic. Brut. LI 191 Ov. Trist. I 6. 1 Clarius appellatur, scilicet quia templum Apollinis Clarii ab urbe Colophoniorum non procul aberat.

[2]) cf. Scholl. Porph. ad. Hor. A. P. 131.

[3]) cf. Suid. s. v. *Ἀντίμαχος*.

[4]) Epicorum Graec. frgg. coll. G. Kinkel Lps. 1877.

[5]) Idem iam ante nos coniecit Schellenberg cf. Antimachi frgg. ed. Duebner Paris 1840 p. 33.

sic fatus (sc. Adrastus) *et ambos* (sc. Tyd. et Polynic.)
innectens manibus tecta interioris ad aulae progreditur.

qua in coniectura imprimis forma dualis numeri confirmamur.

Quae sequuntur, eum multo longius exposuisse quam Statium coniciemus, si modo fidem habebimus ei opinioni, qua in V Thebaidos libro convivium Adrastus heroibus[1]) contra Thebas profecturis apparasse putatur, cuius rei frgg. 15—20 (Athenaeus XI p. 468 A, p. 475 D, p. 482 F) testimonio videntur esse, nisi forte pauca funeri Archemori vel Opheltis tribuere mavis, quod Statius libro VI exponit; quam coniecturam etiam Athenaeum XI p. 475 D stabilire credas, qui cum antea versus, quos attulit, in V Thebaidos libro inveniri dixisset, frg. 17 ita addidit, ut scriberet: *ἀλλαχοῦ δέ φησι κτλ.*; frgg. 17, 18, 19 saltem ad unam eandemque rem referri vix credo. quod convivium etiamsi V libro ab Antimacho describeretur, fieri poterat, ut tres antecedentes libri non rebus, quae inde ab exulum adventu usque ad illud tempus gestae essent, enarrandis explerentur, sed eas, quas Horatius dicit, fabulas ita continerent, ut Tydeus et Polynices eas convivis explicantes inducerentur. sed quocumque modo res se habet, id certe fide auctum putabimus, quod Porphyrio ad Hor. ep. II 3, 146 dixit: *Antimachum aggressum esse materiam, quam sic extendisset, ut XXIV volumina impleret, antequam septem duces usque ad Thebas duceret.* quamquam longum eius opus fuisse vel inde apparet, quod prioribus VI libris Statius nimis lente narrationem profert, si modo recte scholiasta ad Theb. III 466 adnotat: *dicunt poetam ista omnia ex Graeco poeta Antimacho deduxisse, qui et ipse <lon>gam Thebaidem scripsit et veteribus in magno pretio habitam.*

Ceterum non ita multa in reliquiis huius invenimus, quae cum illius sententiis aut verbis consentiant; neque enim magni interesse arbitramur et in illius Thebaidos primo libro

[1]) cf. Athenaeus XI in. p. 459.

et in huius nomen *Κίνθος* lectum esse[1]) et verba frg. 11 (Apoll. Dysc. de pron. p. 373 C)

τὸ καί σφω γείνατο μήτηρ,

quae III libro exstitisse dicuntur, cum narratione quam de filiis duobus Ides instituit Statius III 133—168 comparari posse; fortasse etiam frg. 37 et Stat. Theb. X 540 componere possumus:[2])

ὥς ῥα τότ' Ἀργείων ἐκολῴει στρατός et

talis Agenoreis Argivum exercitus armis obruitur.

alius extat in rebus geographicis quae vocantur consensus vix dignus, qui commemoretur, cum apud Stephanum Byzantium s. v. *Ἀμφιγένεια* legatur: *ἔστι δὲ κατὰ μὲν Ἀπολλόδωρον τῆς Μακιστίας, κατὰ δὲ Ἀντίμαχον τῆς Μεσσηνίας,* Statius autem Amphigeniam urbibus Messeniae adscribere videatur;[3]) de quo loco infra dicemus.

In universum tamen observari potest consulto Statium fabulas minores aliter narrare, scilicet quod Romanos potius auctores secutus est. liceat exempla afferre, quae, qua paucitate sunt fragmenta Antimachi, pauca inveniuntur nec tamen vi argumentandi carent. equos enim Adrasti regis ab Antimacho *Καιρόν* et *Ἀρείονα* Tellure ortos esse dictos Pausanias VIII 25,9 (5) testatur his Thebaidos versibus, qui leguntur frg. 25:

Ἄδρηστος Ταλαοῦ υἱὸς Κρηθηιάδαο
πρώτιστος Δαναῶν ἐυαινέτω ἤλασεν ἵππω
Καιρόν τε κραιπνὸν καὶ Ἀρείονα Θελπουσαῖον,
τόν ῥά τ' Ἀπόλλωνος σχεδὸν ἄλσεος Ὀγκαίοιο
αὐτὴ γαῖ' ἀνέδωκε, σέβας θνητοῖσι ἰδέσθαι.

Statius autem unum Adrasti equum affert, de quo agit Theb. VI 301 sqq.:

ducitur ante omnes rutilae manifestus Arion
igne iubae. Neptunus equo, si certa priorum

[1]) cf. frg. 8 (Steph. Byz. s. v. *Κίνθος*) Stat. Theb. I 702.
[2]) Eustath. ad. Il. p. 205,8 sqq.
[3]) Stat. Theb. IV 178.

fama, pater; primus teneris laesisse lupatis
ora et litoreo domitasse in pulvere fertur.

num non modo parentes, sed etiam domini diversi a duobus poetis allati sint, cognoscere iam non licet; numero certe inter se consentiunt, cum uterque Adrastum tertium illo equo usum esse narret.[1])

De genere quoque Parthenopaei poetae inter se differunt, qui adulescens, nisi locus corruptus ad Adrastum potius referendus est, teste scholiasta ad Eur. Phoen. 150, *ὡς Ἀντίμαχός φησι, Ταλαοῦ τοῦ Βίαντος τοῦ Ἀμυθάονος τοῦ Κρηθέως τοῦ Αἰόλου τοῦ Ἕλληνος τοῦ Διός, μητρὸς δὲ Λυσιμάχης τῆς Κερκυόνος τοῦ Ποσειδῶνος*; de eodem accipimus ex schol. ad Aesch. Sept. 547 Dind.: *Ἀντίμαχός φησιν Ἀργεῖον αὐτόν, οὐκ Ἀρκάδα.* at Statius matrem eius Atalanten nominat, ipsum Arcadem esse dicit[2]). nec minus diversi sunt Romanus scriptor et Graecus, cum ille Amphiarai aurigam Hersen nomine interfectum esse Theb. VII 737 sqq. dicat, priusquam rex in Orcum veheretur, in huius carmine, ut memoriae prodit schol. Pind. Ol. VI 21, *ἡνίοχος αὐτοῦ Βάτων ἐκαλεῖτο ἢ Σχοίνικος, συγκαταποθεὶς αὐτῷ.*

Etiam Lycurgum tyrannum, qui cum Bacchum deum coli vetuisset, morte ab eo multatus esse narratur, alter poeta altera in terra ortum esse refert nam apud Diodorum III 65,7 legimus: *τῶν δὲ ποιητῶν τινες, ὧν ἐστι καὶ Ἀντίμαχος, ἀποφαίνονται τὸν Λυκοῦργον οὐ Θρᾴκης, ἀλλὰ τῆς Ἀραβίας γεγονέναι βασιλέα καὶ τῷ τε Διονύσῳ καὶ ταῖς βάκχαις τὴν ἐπίθεσιν ἐν τῇ κατὰ τὴν Ἀραβίαν Νύσῃ πεποιῆσθαι.* quem Lycurgum Thracem[3]) a Statio habitum esse vel haec verba indicant, quibus Bacchum in Iovem invehentem facit, ut de consilio Thebarum urbis delendae eum depellat Theb. VII 178 sqq.:

quo sacra tamen ritusque peremtae

[1]) frg. 26 (Paus. VIII 25,10[5]) Stat. Theb. VI 314.
[2]) cf. Theb. VI 561 sqq.
[3]) cf. Verg. Aen. III 14.

gentis et in tumulos si quid male feta reliquit
mater, abire iubes? Thracen silvasque Lycurgi?

Porro de illis animi affectibus, terrore, furore, aliis, qui tamquam personae Martem comitari dicuntur, inter se dissentire poetae videntur; namque ab Antimacho eos currum dei trahentes fingi scholiasta Ven. A testimonio est, qui ad Hom. Il. IV 439 adnotavit *ὅτι Δεῖμος καὶ Φόβος Ἄρεως υἱοί· πλανηθεὶς δὲ Ἀντίμαχος ἵππων Ἄρεως ὀνόματα ἀποδέδωκεν·*

Δεῖμός τ' ἠδὲ Φόβος, πόδας αἰνετώ, υἷε Θυέλλης.

qua de adnotatione cur dubitemus, causa non est, quia, quae celeritas pedum laudatur, optime ad equos referri potest, etiamsi ex verbis ipsis nihil certi efficiatur. eundem Pavorem et Timorem Homerus deos et comites Martis appellare solet, ut Il. IV 439 sqq.:

ὦρσε δὲ τοὺς μὲν Ἄρης, τοὺς δὲ γλαυκῶπις Ἀθήνη,
Δεῖμός τ' ἠδὲ Φόβος καὶ Ἔρις ἄμοτον μεμαυῖα,
Ἄρεος ἀνδροφόνοιο κασιγνήτη ἑτάρη τε

et Il. XV 119 sq.:

καί ῥ' ἵππους κέλετο Δεῖμόν τε Φόβον τε ζευγνύμεν (sc. Ἄρης).

quin etiam Martis filius dicitur *Φόβος* Il. XIII 299. quod Homeri exemplum Statius sequitur, qui ministros dei eos describit III 424 sq.:

comunt Furor Iraque cristas,
frena ministrat equis Pavor armiger.

et IV 661 sq.: *nec comitatus iners: sunt illic Ira Furorque et Metus et Virtus et numquam sobrius Ardor.*

His omnibus locis perspectis ex carmine Antimachi, qui adhuc supersunt versus vel verba, plures cum Statianis dissentire quam congruere intelleximus; tamen quae illa scholiastae verba refutent, idoneas non esse has minutias puto, praesertim cum Antimachum aetate, quae Statio proxima est, Hadriani adeo probatum esse memoriae prodant,[1] ut imperator ipse carmina eius aequare studeret: nisi forte

[1]) cf. Ael. Spart. Hadr. XVI 2.

ad unum III libri locum adnotationem scholiastae referri mavis; hoc certe ex comparatione, quam instituimus, cognoscere licet Statium. si modo Antimachi exemplo usus est, non temere usum esse, sed ex aliis quoque fabularum formas sumpsisse. quam obrem nescio an recte illi testimonio ita fidem habeamus, ut poetam quas res summas fabula narrabat, si non omnes, attamen nonnullas ex Antimacho hausisse credamus; quod non impedivit, quominus singulas scaenas et cunctum scribendi colorem aliunde sibi peteret.

Nec praeter Antimachum desunt, qui eisdem de rebus, atque Statius in Thebaide, ante eum egerint. Suidas[1]) quidem nomen Antagorae Rhodii affert, qui cum temporibus Arati viveret Antigono Gonata regnante Thebaidem conscripsisse dicitur. idem Menelaum quendam XI libros[2]) Thebaidos composuisse tradit,[3]) cuius carminis in I libro *Τεμμίκιον ἄστυ*, in IV *Ὑρμίναν* nominata esse Stephanus Byzantius refert; quorum nominum neutrum in Statii opere legitur. et tanta invidia fati utriusque poetae carmen oppressum est, ut ne reliquias quidem cum Thebaide Statiana comparare liceat.

Nec modo Graecos, sed etiam Romanos Thebanam fabulam aggressos esse ex Propertii carminibus cognoscimus;[4]) qui altero loco (I 7,1 sq.) Ponticum Thebaidi studuisse indicat his verbis: *dum tibi Cadmeae dicuntur, Pontice, Thebae armaque fraternae tristia militiae,* altero (II 34,37 sqq.), ne carmen epicum illis de rebus suscipiat, Lynceum adhortatur, utpote qui ad amores potius canendos idoneus sit. horum uterque vel alter num carmen ad finem perduxerit, nescimus; quae si edita sunt, nullius momenti fuisse satis testi-

[1]) Suid. s. v. *Ἄρατος.*

[2]) ibid. s. v. *Μενέλαος.*

[3]) Eudocia, cuius lectionem Welckerus, alii secuti sunt, libros XII eum scripsisse refert; cui, cum totum librum Eudociae nomine traditum a Constantino Palaeocoppa circa a. 1543 compilatum esse constet, fidem non habebimus.

[4]) cf. Welcker *Kleine Schriften* I 392—401.

monii est, quod silentio omnium scriptorum premuntur; neque enim posteri tam ingrati esse solent, ut de meritis mortuorum taceant, etsi aequales vivorum saepenumero non agnoscunt. neque in numero horum poetarum ponendi non sunt, quotquot de Thebana fabula vel aliqua, quae prope ad eam accedebat, tragoedias fecerunt, in quibus, si Graecos praeterimus, Accius, Antigones auctor et Eriphyles et Phoenissarum et Thebaidos, Seneca, Oedipodis auctor et Phoenissarum. nam quamquam iam non licet omnes illas fabulas in quaestionem vocare, tamen ex unius Senecae exemplo apparebit non usum esse illis Statium, sed uti potuisse. nec minus, quae perquam placebant, narratiunculas aut argumenta, etsi ad res Thebanas non attinebant, ex omnibus fere epicis in suum usum convertere ei licuit; ex quibus quem maxime aemulatus sit Thebaide, ipse extremis verbis testatur, quibus carmen suum dimittit (Theb, XII 816sq.):

vive, precor, nec tu divinam Aeneida tempta,
sed longe sequere et vestigia semper adora.

Atque illum carmina Vergilii imitatum esse demonstrare conati sunt viri docti, cum saepissime eisdem verbis utrumque poetam usum esse ostenderent.[1]) qua in quaestione eos nonnumquam nimios fuisse censeo, cum *est locus, huc ades,* a. imitationes esse dicerent.[2]) equidem, praesertim cum videam ne Ovidium quidem, summum illum in versibus componendis artificem, dubitasse verba quaedam eodem modo coniungere vel eadem sede ponere quo alios, et verba et sententias quasdam in sermonem poetarum epicorum ita transiisse arbitror, ut Statius, quin eisdem uteretur, facere non posset. atque in hanc potissimum rem conicio eum operam

[1]) cf. G. Luehr de P. Pap. Statio in silvis priorum poet. Rom. imitatore diss. in. Brunsberg. 1880; M. Kulla quaest. Stat. Vratisl. 1881 diss. in.; B. Deipser de Pap. Statio Vergilii et Ovidii imitatore Argent. 1881 diss. in. (diss. phil. Arg. sel. vol. V. 1881).

[2]) Luehr l. l. p. 31, Kulla l. l. p. 59: cf. Bursiani annales 1880 II. p. 183; rectissime de talibus quas constituerunt imitationibus iudicat Baehrensius (Valerius Flaccus Lps. 1875 praef. p. Vsq.).

duodecim annorum et diligentiam, qua ipse gloriatur,[1]) contulisse, ut sua verba poneret loco Vergilianorum sive epicorum, quae quidem essent usitata. qua re declarantur illae voces coniunctae, quae quamquam Vergilium redolent, tamen non eaedem sunt; quales Deipserus[2]) attulit: *Palladios oleae ramos* Theb. V 417 (*ramis velatos Palladis* Aen. VII 154), *rore madens Stygio* Theb. V 198 (*Lethaeo rore madentem* Aen. V 854), *pastorali trunco* Theb. IV 301 (*pastoralem praefixa cuspide myrtum* Aen. VII 817). unde apparet, cur Statius progressus sit ad licentiam omnium certe poetarum communem, qui longo tempore, cum litterae florerent, peracto vestigiis pristinorum non prorsus instare velint, sed sua novum in modum proferre. inde autem quod quasi epico quodam sermone poeta in Thebaide usus est, patet, si modo recte observatum est,[3]) et cur Georgica Bucolicaque non item secutus esse videatur et cur in Silvis imitationis Vergilianae fere non sint vestigia. omisso igitur, quod plures tractarunt, sermonis genere de narrationibus ipsis agemus; quam quaestionem ita instituemus, ut de poetis, quos exemplo Statio fuisse putamus, singillatim dicamus, si unius vestigia cognoscuntur; sin plures simul imitatus est, ei quae de principe eorum erit disputationis parti locum attribuamus.

Atque a Iove omnium poetarum principium faciendum est. Homeri enim carmina, quibus eisdem Silius Italicus accuratissime usus est in Punicis componendis, nonnullis locis Statio obversata esse manifestum est, quamquam Deipserus[4]) scripsit: *ab hoc* (*sc. Graecorum*) *studiorum cumulo Statius alienus fuisse videtur, qui cum quanta diligentia, quanta scientia cum in aliis, tum in his rebus illustrandis Vergilius esset, sentiret, eum in fabulis explicandis praecipu-*

[1]) cf. Theb. XII 811; Silv. IV 7,26. a. l.

[2]) l. l. p. 22.

[3]) cf. Kulla l. l. p. 63 sq.

[4]) l. l. p. 69.

um ac paene unicum habuit auctorem, pauciora ex Ovidii carminibus hauserit. solius autem Homeri vestigia nescio an primum cognoscas in Theb. libri VII (243—373) narratione, cuius summa saltem cum Il. libri III versibus 161—244 congruit; est enim *τειχοσκοπία*, quam eandem Valerius Flaccus in Argonauticis (V 576 sqq.) brevissime imitatus est. nam ut Priamus et Helena de viris, quos in campo conspicantur, inter se disputant, cum alter interroget, altera quos recognovit nominet, sic in Thebaide Antigone et Phorbas, quo Laius armigero usus erat, in turri versantes colloquuntur: partes autem mutatae sunt, cum illa quaerat, hic nomina regum afferat, neque tamen eorum, qui urbem oppugnent, sed qui Thebanis succurrerint. singulae tamen res fere nullae sunt, ex quibus Statium illum Iliadis locum secutum esse aliquo iure colligas, nisi hoc unum non nullius momenti esse censes, quod et Helena et Antigone velo genas circumdant, priusquam domo exeant: nam illa in publicum prodit (Il. III 141.)

ἀργεννῇσι καλυψαμένη ὀθόνῃσιν.

Antigone populis teneras defenditur atra
veste genas (Theb. VII 244 sq.),

quibus locis vide ne color diversus testimonio sit Romanum poetam Homeri locum ad libidinem emendasse. tamen hanc Thebaidos narrationem non minus cum Euripidis Phoenissis convenire dicas, qua in fabula paedagogus, priusquam illam in turrim ascendere sinat, haec facit verba (v. 92 sq.):

ἐπίσχες, ὡς ἂν προυξερευνήσω στίβον,
μή τις πολιτῶν ἐν τρίβῳ φαντάζεται.

idem igitur angor significatur, quem cognoscimus ex hoc versu (Theb. VII 243):

turre procul sola nondum concessa videri Antigone e. q. s.

at cum etiam in Phoenissis non socios, sed hostes paedagogus enumeret, vix recte conclusionem facere licet huius fabulae locum, quem Euripides ipse quoque ex Homeri carminibus sumpsit, Statio notum fuisse. veri multo similius videtur eum ex primo fonte ipso hoc argumentum hausisse, etiamsi Iliadis et Thebaidis narrationes tantum differant, ut numquam fere futurum sit, ut illa vigore poetico, haec longitudine, ne dicam molestia et languore superetur. in illa enim quo ingenio poeta describit, quo modo Priamus quaerat et Helena nomina regum afferat atque, cum maritum cognoverit, se ipsam exsecretur, Antenor autem interrumpat, ut ipse aliquid de Graecis addat. singuli versus quam vividi, quam naturae hominum convenientes. Statii autem narratio, quippe quae altero tanto maior sit quam Homeri, fatigat sermonibus, quibus, unde quisque natus quales copias adduxerit, iusto longius exponitur. tamen, ut saepe fit, res minima vereor ne demonstrare videatur similem Iliadis narrationem Statio ignotam non fuisse; etenim illam praedicationem Agamemnonis

ὦ μάκαρ Ἀτρείδη (Il. III 182)

causam fuisse conicio verborum, quae de Amphione fiunt (Theb. VII 280)

macte animo iuvenis,

quamquam altera de causa alter laudatur.

Quodsi Statium vituperamus, hoc potissimum ei crimini vertimus, quod, duos locos Homeri, illum de quo diximus pulcherrimum et alterum molestum, cum in unum confudisset, etiam illius leporem nativum turbavit. immiscuit enim, quem lumen carminis esse vix credideris, locum libri II Homeri, qui dicitur *κατάλογος νεῶν*, cum complura urbium nomina, quae ille affert, enumeraret atque saepius eadem nota ornaret; sunt verba

apud Statium		apud Homerum
VII 261	*Dionaeisque avibus circumsona Thisbe*	
	πολυτρήρωνά τε Θίσβην	II 502
— 266	*densamque iugis Eteonon iniquis*	
	πολύκνημόν τ' Ἐτεωνόν.	— 497
— 274 sq.	*Haliartos .... nimia .... herba*	
	ποιήενθ' Ἁλίαρτον	— 503

— 331 *uvida Arne*
πολυστάφυλον Ἄρνην — 507
— 334 sq. *ultima tractu Anthedon*
Ἀνθηδόνα τ᾽ ἐσχατόωσαν — 508
— 271 sq. *Neptunia plebes Onchesti*[1])
Ὀγχηστὸν . . . . Ποσιδήιον ἀγλαὸν ἄλσος. — 506

fortasse etiam idem significatur verbis his:

— 260 sq. *confertissima lucis Nisa,*
Νῖσάν τε ζαθέην. — 508

accedit, quod saepius eundem ordinem nominum servatum videmus; legimus enim

VII, 260 *Ocalea Medeonque*
Ὠκαλέην Μεδεῶνά τε II, 501
— 266 *Scolon densamque iugis Eteonon iniquis*
Σκῶλόν τε πολύκνημόν τ᾽ Ἐτεωνόν — 497

---

[1]) Inest offensio aliqua in his versibus, qui sunt (Theb. VII 271 seq.)

ecce autem clamore ruunt Neptunia plebes
Onchesti, quos pinigeris Mycalesos in agris
Palladiusque Melas Hecataeaque gurgite nutrit
Gargaphie quorumque novis Haliartos arisfis
invidet et nimia sata laeta supervenit herba.

quaeritur enim, utrum tres afferantur gentes an una Onchesti nata, quae ut dilucide describatur, duo enuntiata relativa addantur. hoc minime concedi posse videtur, quia poeta vix Melana flumen et Gargaphien et Mycaleson montem, ex quibus unumquodque in alia fere parte Boeotiae situm est, ita cum Onchesto coniungere potuit, ut hanc urbem ab illis nutriri diceret sive incolas Onchesti rebus ex illis regionibus redeuntibus vivere. atqui si tres gentes distinguimus, primam Onchesti natam, alteram ex eis qui in Mycaleso et ad Melana et ad Gargaphien incolunt compositam cognoscimus; quam autem tertiam fuisse putamus, quae verbis significatur: *quorumque novis Haliartos aristis invidet et nimia sata laeta supervenit herba?* mirum videtur quod Statius ignotam aliquam gentem ita satis sibi significasse visus est. nescio an aliquam interpretationis rationem versus Homeri praebeat:

οἵ τε Κορώνειαν καὶ ποιήενθ᾽ Ἁλίαρτον e. q. s.;

Statius enim ipse v. 307 feracem messe Coroniam appellat. quid obstat quominus etiam illo loco de novis Coroniae aristis eum dicere coniciamus,

— 331 *quos Midea, quos uvida suggerit Arne*
οἵ τε πολυστάφυλον Ἄρνην ἔχον οἵ τε Μίδειαν — 507

quid vero dicam de versibus, qui integri fere vertuntur (Theb. VII 343 sqq.):

quis tibi Phoebeas acies veteremque revolvat
Phocida, qui Panopen, qui Daulida, qui Cyparisson
et valles, Lebadea, tuas et Hyampolin acri
subnixam scopulo, vel qui Parnason utrumque
aut Cirrham tauris Anemoriamque supinant
Coryciumque nemus propellentemque Lilaeam
Cephisi glaciale caput, quo suetus anhelam
ferre sitim Python amnemque avertere ponto,

ex Homeri versibus II 519 sqq.

οἳ Κυπάρισσον ἔχον Πυθῶνά τε πετρήεσσαν
Κρῖσάν τε ζαθέην καὶ Δαυλίδα καὶ Πανοπῆα,
οἵ τ' Ἀνεμώρειαν καὶ Ὑάμπολιν ἀμφενέμοντο,
οἵ τ' ἄρα πὰρ ποταμὸν Κηφισὸν δῖον ἔναιον,
οἵ τε Λίλαιαν ἔχον πηγῆς ἔπι Κηφισοῖο.

nomina autem, quae sunt apud Statium, pleraque etiam apud Homerum leguntur quamvis mutato ordine; nam praeter illa, quae in versibus allatis insunt, haec inveniuntur apud utrumque: *Hyle* (Th. VII 267 Il. II 500) *Schoenas* (Th. 268 Il. 497) *Mycalesus* (Th. 272 Il. 498) *Glisas* (Th. 307 Il. 504) *Coronia* (Th. 307 Il. 503) *Aulis* (Th. 332 Il. 496) *Graea* (Th. 332 Il. 498) *Plataeae* (Th. 332 Il. 504) *Peteon* (Th. 333 Il. 500) *Abantiadae* (Th. 370 Il, 542) *Carystos* (Th. 370 Il. 539).

Liceat hoc loco commemorare ne in hostibus quidem enumerandis a Statio versus alterius libri Iliados neglectos esse; simillima enim sunt inter se Theb. IV 102 sqq.

sensit scopulosa Pylene

quibus Haliartos invideat vel herbae ubertate praestare conetur. concedimus poetam eosdem et Amphioni et Lapithaoni attribuisse, sed facile fieri poterat, ut neglegentia quadam se priore loco eos attulisse oblivisceretur, praesertim cum nomen non addidisset. etiam aliae eiusmodi neglegentiae exstant.

fletaque cognatis avibus Melagria Pleuron
et praeceps Calydon et quae Iove provocat Iden
Olenos, Ioniis et fluctibus hospita portu
Chalcis et Il. II 639 sq.:
οἳ Πλευρῶν' ἐνέμοντο καὶ Ὤλενον ἠδὲ Πυλήνην
Χαλκίδα τ' ἀγχίαλον Καλυδῶνά τε πετρήεσσαν.

neque minus Theb. IV 178 sqq.:

quos fertilis Amphigenia . . . . . .
quos Thryon et summis ingestum montibus Aepy,
quos Helos et Pteleon, Getico quos flebile vati
Dorion: hic fretus doctas anteire canendo
Aonidas mutos Thamyris damnatus in annos
ore simul citharaque (quis obvia numina temnat?)
conticuit praeceps e. q. s. et Il. II 592 sqq.:
καὶ Θρύον Ἀλφειοῖο πόρον καὶ ἐΰκτιτον Αἰπύ,
καὶ Κυπαρισσήεντα καὶ Ἀμφιγένειαν ἔναιον
καὶ Πτελεὸν καὶ Ἕλος καὶ Δώριον, ἔνθα τε Μοῦσαι
ἀντόμεναι Θάμυριν τὸν Θρήικα παῦσαν ἀοιδῆς.

atque Theb. IV 286 sq.:

Rhipeque et Stratie ventosaque donat Enispe.
non Tegea e. q. s. et Il. II 606 sq.:
Ῥίπην τε Στρατίην τε καὶ ἠνεμόεσσαν Ἐνίσπην,
καὶ Τεγέην εἶχον e. q. s.

praeterea compares velim locos

Statii		Homeri
IV 123 sq.	*rura Epidauria (dexter Iaccho collis)*	
	ἀμπελόεντ' Ἐπίδαυρον	II 561
— 226	*volucrumque parens Cytherea Messe*	
	πολυτρήρωνά τε Μέσσην	— 582
— 295	*dives et Orchomenos pecorum*	
	Ὀρχομενὸν πολύμηλον	— 605
-- 179	*montosa Ithome*	
	Ἰθώμην κλωμακόεσσαν	— 729

et hic quoque pleraque urbium nomina, quae a Statio afferuntur, apud Homerum invenias; sed iam satis superque de hac re diximus, ut paene molesti videamur nominibus enumerandis; nam ex his exemplis omnibus satis apparet poetam ex Homeri versibus nonnulla traxisse; quos utrum Statius ipse imitatus sit an Antimachus Colophonius vel alius, ex quo ille rursus hauserit, quaeri licere mihi quidem non videtur, quia tanta est consensio Statii et Homeri, quanta vix per medium aliquem poetam effici potuerit, nisi vero hic ad verbum pristini versus exscripserat.

Altera huius generis narratione, quae simillima est Homero, preces mulierum Argivarum exponuntur, quae, absentibus maritis ut propitia sit, Iunonem implorant (Th. X 49 – 69). quae narratio quamquam apud Vergilium brevissima et tamquam adumbrata extat (A. XI 477—485) et ex Aeneide a Silio Italico in Punicorum librum VII (74—89) translata est, tamen ex solo Homero sumpta videtur, quia cum illis nihil commune est nisi summa narrationis, cum hoc etiam verba communia cognoscuntur. in Iliadis enim libro VI (286—312) Troianorum mulieres a Pallade salutem pugnantium petunt, quemadmodum apud Statium Iuno ab obsidentium uxoribus imploratur. dicuntur autem mulieres deae vestem praebuisse, quam cum *πέπλον* uterque poeta vocet (Il. VI 302 Th. X 56), alter in *παμποικίλοις* (Il. VI 289) ponit, alter *mirabile textum* (Th. X 56) laudat. accuratius eadem describitur verbis, quae sunt (Il. VI 294 sq.):

πέπλος . . . . . .
ὃς κάλλιστος ἔην ποικίλμασιν ἠδὲ μέγιστος,
ἀστὴρ δ' ὣς ἀπέλαμπεν,

et a Statio sic (Th. X 59 sq.):

variis ubi plurima floret
purpura picta modis mixtoque incenditur auro.

quam vestem Troianae et Argivae eodem modo deae offerunt; legitur enim Il. VI. 302 sq.:

ἡ δ' ἄρα πέπλον ἑλοῦσα Θεανὼ καλλιπάρῃος
θῆκεν Ἀθηναίης ἐπὶ γούνασιν ἠυκόμοιο

et Theb. X 65 sq.: *hoc tunc Argolicae sanctum velamine matres induerant ebur.*

veste sacrata apud Homerum VI 301

αἱ δ' ὀλολυγῇ πᾶσαι Ἀθήνῃ χεῖρας ἀνέσχον,

apud Statium X 66 *lacrimis questuque rogabant.* ut hostium arcem disiceret dea. apparet igitur hanc deae implorationem, quamvis brevis sit narratio, ex Homero repetitam esse, quia eadem vestis eodem nomine appellata eodemque modo descripta apud utrumque poetam pariter deae praebetur.

Iam ad proximam narrationem venimus, quae originem Homericam magis ceteris prae se fert. legitur enim Theb. IX 225—525 *μάχη παραποτάμιος*, quae Iliadis XXI narrationi simillima est.[1]) nam inde a versu (Th. IX 225): *ventum erat ad fluvium* qui Homerico respondet huic (Il. XXI 1):

ἀλλ' ὅτε δὴ πόρον ἷξον ἐϋρρεῖος ποταμοῖο,

saepissime poetam Graecum paene verbum e verbo vertisse Statius videtur. comparantur versus (Th. IX 230 sq.)

insiluere vadis magnoque fragore solutus
agger et adversae latuerunt pulvere ripae.

et (Il. XXI 9 sq.): *ἐν δ' ἔπεσον μεγάλῳ πατάγῳ, βράχε δ' αἰπὰ ῥέεθρα,*
ὄχθαι δ' ἀμφὶ περὶ μεγάλ' ἴαχον.

paulo infra apud utrumque territi hostes, qui per flumen aguntur, cum piscibus conferuntur, nisi quod Statius, ut solet, multo longius rem explanat ab Homero ita descriptam (Il. XXI 22 sqq.):

ὡς δ' ὑπὸ δελφῖνος μεγακήτεος ἰχθύες ἄλλοι
φεύγοντες πιμπλᾶσι μυχοὺς λιμένος εὐόρμου
δειδιότες· μάλα γάρ τε κατεσθίει ὅν κε λάβῃσιν·
ὣς Τρῶες ποταμοῖο κατὰ δεινοῖο ῥέεθρα
πτῶσσον ὑπὸ κρημνούς.

quae verba Statius reddidit hoc modo (Th. IX 242 sqq.):

[1]) cf. U. Sailer *Stazio e la sua Tebaide* Ven. 1886 p. 69 sq., quo in libro ille, quae rationes intercedant inter Statium, Homerum, Vergilium, inde a p. 65 brevissime exposuit.

qualis caeruleis tumido sub gurgite terror
piscibus, arcani quotiens devexa profundi
scrutantem delphina vident; fugit omnis in imos
turba lacus viridesque metu stipantur in algas;
nec prius emersi, quam summa per aequora flexus
emicet et visis malit certare carinis:
talis agit sparsos.

pugna igitur in flumine fit, dum deus — cui Scamander nomen in Iliade, Ismenos in Thebaide est — nece hominum excitatus tandem scelus pugnantium punire cupiat; irritat enim Scamandrum quod cum filius fluminis cuiusdam Asteropaeus ab Achille interficitur, tum fluminibus omnibus maledicitur (Il. XXI 136—199). Ismenus autem, postquam cognatum Crenaeum in aqua occisum esse comperit, undas colligit nepotem ulturus. sed quod uterque ut deus minor erumpere non audet, priusquam maiorem invocaverit, Scamander Apollinem implorat (Il. XXI 228 sqq.), Ismenus ad Iovem ipsum provocat (Th. IX 420 sqq.). quibus in precibus insunt verba (Th. IX 429 sq.)

aspice, quas fluvio caedes, quae funera portem,
continuus telis alioque adopertus acervo.

quibus similia sunt apud Homerum (Il. XXI 300 sqq.):

τὸ δὲ (sc. *πεδίον*) *πᾶν πλῆθ' ὕδατος ἐκχυμένοιο*
πολλὰ δὲ τεύχεα καλὰ δαϊκταμένων αἰζηῶν
πλῶον καὶ νέκυες. et (ib. 325.)
μορμύρων ἀφρῷ τε καὶ αἵματι καὶ νεκύεσσιν.

ope deorum potentium petita uterque fluvius undas in hostem Achillem vel Hippomedontem emittit; sed Statius, quae Homerus octo decemve versibus exponit, per triginta fere ita extendit, ut saepius eum unum vel pauca verba pluribus expressisse cognoscas. verba enim, quae initio leguntur (Th. IX 446 sq.)

sic ait infrendens et sponte furentibus undis
signa dedit

nihil aliud continent nisi (Il. XXI 234)

ὁ δ' ἐπέσσυτο οἴδματι θύων.

et quae sequuntur (ib. 235):

πάντα δ' ὄρινε ῥέεθρα κυκώμενος,

ex eis facillime concedes orta esse (Th. IX 451 sqq.):

ipse cavae scrutatur viscera terrae [ludes
stagnaque torpentesque lacus pigrasque pa-
excutit atque avidos tollens ad sidera vultus
umentes nebulas exhaurit et aera siccat.

neque vero solus Ismenos instat, sed multi fontes ei succurrunt; nam (Theb. IX 447 sqq.)

mittit gelidus montana Cithaeron
auxilia antiquasque nives et pabula brumae
ire iubet; frater tacitas Asopus eunti
conciliat vires et hiulcis flumina venis
suggerit,

cuius narrationis originem in Homeri versibus fuisse conicias quibus Scamander Simoenta auxilio arcessit (Il. XXI 308 sqq.):

φίλε κασίγνητε, σθένος ἀνέρος ἀμφότεροί περ
σχῶμεν, ἐπεὶ τάχα ἄστυ μέγα Πριάμοιο ἄνακτος
ἐκπέρσει, Τρῶες δὲ κατὰ μόθον οὐ μενέουσιν·
ἀλλ' ἐπάμυνε τάχιστα, καὶ ἐμπίμπληθι ῥέεθρα
ὕδατος ἐκ πηγέων, πάντας δ' ὀρόθυνον ἐναύλους,
ἵστη δὲ μέγα κῦμα, πολὺν δ' ὀρυμαγδὸν ὄρινε
φιτρῶν καὶ λάων, ἵνα παύσομεν ἄγριον ἄνδρα.

porro in descriptione undarum versus, qui est (Il. XXI 240):

δεινὸν δ' ἀμφ' Ἀχιλῆα κυκώμενον ἵστατο κῦμα,

idem significat atque (Th. IX 459 sq.):

hinc atque hinc tumidi fluctus animosaque surgit
tempestas.

narrat vero Homerus Achillem perculsum esse, cum clipeus unda premeretur (Il. XXI 241):

ὤθει ἐν σάκεϊ πίπτων ῥόος,

quod idem fere Statius tribus versibus explicat (Th. IX 463 sqq.):

semperque umbone sinistro

tollitur et clipeum nigrante supervenit aestu
spumeus adsultans fractaque refunditur unda
et cumulo maiore redit.

neque haec verba (Th. IX 488):

instant undae sequiturque labantem
amnis ovans

dissimilia sunt Homericis (Il. XXI. 256):

ὁ δ' ὄπισθε ῥέων ἕπετο μεγάλῳ ὀρυμαγδῷ

et cum adeo fluctus eum vexent, ut paene obruatur, Achilles tandem arbore capta se ipsum ex aquis tollere conatur (ib. 242 sqq.):

ὁ δὲ πτελέην ἕλε χερσὶν
εὐφυέα μεγάλην· ἡ δ' ἐκ ῥιζέων ἐριποῦσα
κρημνὸν ἅπαντα διῶσεν, ἐπέσχε δὲ καλὰ ῥέεθρα
ὄζοισιν πυκινοῖσι, γεφύρωσεν δέ μιν αὐτὸν
εἴσω πᾶσ' ἐριποῦσα.

nec aliter nisi pluribus verbis usus Papinius, postquam fraxinum commemoravit, quae ad ripam stabat, de Hippomedonte refert (Th. IX 495 sqq.):

huius opem (nam qua terras invaderet?) unca
arripuit dextra: nec pertulit illa trahentem;
sed maiore super, quam stabat, pondere victa
solvitur et qua stagna subit radice quibusque
arentem mordebat humum, dimissa superne
iniecit trepido sese ripamque nec ultra
passurum subitae vallavit ponte ruinae.

qui loci quamvis sint similes, tamen si ad totam condicionem spectes in duobus carminibus non aeque apti videntur; etenim Achilles arbore tamquam ponte usus ex flumine exsilit, undis autem longius vagantibus rursus petitur, Hippomedon, etiamsi poeta non satis ostenderit, quo modo ille tandem ripam teneat moribundus, ita certe ex fluvio venisse non dicitur; quo ineptior videtur imitatio, qua de ponte, quem arbor efficit, Graecum poetam secutus dicit Thebaidos auctor. hoc tamen alter cum altero convenit, quod

viri undis oppressi deos invocant indignati ignominiam sibi allatam, cum se effugere posse vix sperent, quia (Th. IX 504 sq.)

iam . . . umeros, iam colla ducis sinuosa vorago
circuit vel, ut ait Homerus (Il. XXI 268 sq.),
τοσσάκι μιν μέγα κῦμα διιπετέος ποταμοῖο
πλάζ᾽ ὤμους καθύπερθεν.

in precibus ipsis quas proferunt simillimi sunt versus, quos Achilles exclamans fingitur (Il. XXI 281 sqq.)

νῦν δέ με λευγαλέῳ θανάτῳ εἵμαρτο ἁλῶναι
ἐρχθέντ᾽ ἐν μεγάλῳ ποταμῷ, ὡς παῖδα συφορβόν,
ὅν ῥά τ᾽ ἔναυλος ἀποέρσῃ χειμῶνι περῶντα,

et Statiani Hippomedontis (Th. IX 506 sqq.):

fluvione (pudet), Mars inclite, merges
hanc animam? segnesque lacus et stagna subibo
ceu pecoris custos subiti torrentis iniquis
interceptus aquis?

concludunt denique poetae narrationem, cum Iunonem intercedentem inducant, quae dea in Iliade Vulcanum ut aquam reiciat flammis impellit, in Thebaide ut nutu undas recedere iubeat ab Iove impetrat.

Quibus locis addamus vestigia Iliadis libri XII, quae vereor ne in decimo Thebaidos cognoscantur, ubi quomodo oppidum ab Argivis oppugnetur longius explanatur. nam quemadmodum Hector in fossam castris Graecorum circumdatam instat (Il. XII 50 sqq.):

οὐδέ οἱ ἵπποι
τόλμων ὠκύποδες, μάλα δὲ χρεμέτιζον ἐπ᾽ ἄκρῳ
χείλει ἐφεσταότες· ἀπὸ γὰρ δειδίσσετο τάφρος
εὐρεῖ᾽, οὔτ᾽ ἂρ ὑπερθορέειν σχεδὸν οὔτε περῆσαι
ῥηιδίη,

ita Argivi fossam transire conantur, (Th. X 521 sqq.)

at patulas saltu transmittere fossas
horror equis, haerent trepidi atque immane paventes
abruptum mirantur agi.

uni tamen ex omnibus contingit, ut equo relicto summa moenia ascendat, in Iliade Sarpedoni, in Thebaide Capaneo; (Il. XII 397 sqq.):

Σαρπηδὼν δ᾽ ἄρ᾽ ἔπαλξιν ἑλὼν χερσὶ στιβαρῇσιν
ἕλχ᾽, ἡ δ᾽ ἕσπετο πᾶσα διαμπερές, αὐτὰρ ὕπερθεν
τεῖχος ἐγυμνώθη, πολέεσσι δὲ θῆκε κέλευθον.

eodem fere modo Capaneus describitur, qui (Th. X 877 sqq.)

insultans gressuque manuque
molibus obstantes cuneos tabulataque saevus
destruit: absiliunt pontes tectique trementis
saxea frena labant dissaeptoque aggere rursus
utitur et truncas rupes in templa domosque
praecipitat frangitque suis iam moenibus urbem.

Praeter hos locos, quibus Homerum unum imitatus est P. Papinius, non desunt, quibus narrationem Graeci poetae cum aliorum narratione mixtam esse appareat. in quibus pugna nocturna[1]) ponenda est, in qua explicanda se non modo Homeri, sed ne Vergilii quidem auctoritatem neglexisse ipse ostendit verbis, quibus de Hopleo et Dymante concludit, his (Th. X 445 sqq.):

vos quoque sacrati, quamvis mea carmina surgant
inferiore lyra, memores superabitis annos.
forsitan et comites non aspernabitur umbras
Euryalus Prygiique admittet gloria Nisi.

atque initium Aeneidi similius est, quia in utroque carmine reges consultant, quid fieri opus sit, cum hic Thiodamas, illic Nisus et Euryalus accedunt, in Iliade alius alium ut consilio intersit ex somno excitat. qua in re Statium non sollerter causam invenisse totius narrationis cognoscere mihi videor; nam in Iliade Graeci a Troianis oppressi emittunt, qui, quid illi consilii inierint, nocte explorent; arto enim vinculo a victoribus constricti habentur, ne navibus deductis abeant aut, si abeant, multis tamen amissis; in Aeneide cum Troiani undique

---

[1]) cf. Deipser l. l. p. 43 sqq.

inclusi summum in discrimen vocati sint, ut Aeneam absentem arcessant, adulescentes iter suscipiunt; cur tamen Argivi ita opprimantur, causa indagari nequit, cum hostes quamquam superiores facti sunt, non adeo magnam victoriam adepti sint, ut etiam fuga illos prohiberi posse sperarent. immo vix credideris, quod legimus (Th. X 40 sqq.): Thebani

frontem aversaque terga
partiti laterumque sinus, vallum undique cingunt
ignibus infestis —

vix credideris nullos ex tanto agmine saevam effugisse caedem, id quod poeta affirmat. Homerica igitur descriptio et Vergiliana speciem verisimilitudinis praebent, haec omni caret. nimio autem imitandi studio Statium in hoc vitium delapsum esse vel ex primis versibus apertum fit, quibus ad Vergilium respiciens Thebanos cum lupis ita comparat (Th. X 42 sqq.):

rabidi sic agmine mixto
sub noctem coiere lupi, quos omnibus agris
nil non ausa fames longo tenuavit hiatu:
iam stabula ipsa premunt, torquet spes irrita fauces
balatusque tremens pinguesque ab ovilibus aurae;
quod superest, duris adfrangunt postibus ungues
pectoraque et siccos minuunt in limine dentes.

in Aeneidos enim libro IX idem sic exponitur (v. 59 sqq.):

ac veluti pleno lupus insidiatus ovili
cum fremit ad caulas, ventos perpessus et imbres
nocte super media: tuti sub matribus agni
balatum exercent; ille asper et improbus ira
saevit in absentis, collecta fatigat edendi
ex longo rabies et siccae sanguine fauces e. q. s.

quo loco ne imitandi vestigia neges non vereor, quamquam nescio an usitatam esse similitudinem Ennianus versus 192[1]) demonstret:

balantum pecudes quatit: omnes arma requirunt,

---

[1]) Ennianae poesis reliquiae rec. I. Vahlen. Lps. 1854.

quem si non totum, at certe priorem partem ex illa similitudine relictam esse conicere licet. sed omissis initio et conclusione huius narrationis tota condicio, qua Argivi castris tenentur, hostes ne illi effugiant inter castra et urbem excubias collocant, magnopere resipit eam, quam fecit Homerus. ne tamen eandem causam afferat, qua commoti nocte proficiscantur, Statius Thiodamantem divino ardore inflammatum, ut statim in hostes impetus fiat, regibus persuadere narrat; provocat autem ad *benignas noctis aves* (Th. X 216), ex quibus una etiam a Diomede et Ulixe conspicitur (Il. X 274 sqq.); et quemadmodum ille hunc sibi comitem eligit (Il. X 236) *φαινομένων τὸν ἄριστον, ἐπεὶ μεμάασί γε πολλοί,* — nam ut supra scriptum est (cf. 227): *οἱ δ' ἔθελον Διομήδει πολλοὶ ἕπεσθαι* — eodem modo Thiodamas comites (Th. X 222) *iussus ipse legit* ex multis, qui (ib. 221) *flagrant comitari et iungere casus.* gavisi sunt iuvenum virtute et Adrastus et Aletes, quem Vergilius praedicantem facit Troes nondum a deis desertos videri, (V. A. IX 249), *cum talis animos iuvenum et tam certa* tulerint *pectora*; etiam ille (Th. X 236 sq.):

unde haec tam sera repente — inquit —
numina? qui fractos superi rediistis ad Argos?

mutatis denique armis ubi omnes ad pugnam progressi sunt, adiuvantur Argivi ab Iunone, apud Homerum viri sub tutela Minervae versantur; tres autem poetae eo congruunt, quod profectos nonnullis hostibus vim attulisse narrant, quam rem Statius ut supra diximus incredibilem in modum auxit. Homerum vero secutus alicui hostium, cum trucidatur, somnium obversari de morte describit; Rhesum enim Diomedes interficit, ut ait poeta (Il. X 496 sq.)

ἀσθμαίνοντα· κακὸν γὰρ ὄναρ κεφαλῆφιν ἐπέστη
τὴν νύκτ', Οἰνεΐδαο πάις, διὰ μῆτιν Ἀθήνης.

ut de Calpeto a Thiodamante oppresso legimus (Th. X 324 sq.):

fors illi praesaga quies nigrasque gravatus
per somnum Thebas et Thiodamanta videbat.

magna caede facta Diomedes et Ulixes a Minerva moniti in

tempore pedes referunt, priusquam hostes expergiscantur, in Thebaide et Aeneide alter alterum hortatur, cum Nisus Euryalum ita compellet (V. A. IX 355 sq.):

absistamus, ... nam lux inimica propinquat.
poenarum exhaustum satis est, via facta per hostes,

Actor Thiodamanta his verbis (Th. X 330 sqq.):

satis haec inopina Pelasgis
gaudia; . . . . (333) *secundis pone modum.*

ceteris igitur redeuntibus Dymantem et Hopleum, ut corpora regum Tydei et Parthenopaei quaerant, diutius in campo morari Statius narrat; sed dum re perpetrata (Th. X 385) *iam castra vident animisque propinquant*, Amphion casu explorandi causa ex urbe profectus (Th. X 391 sq.) *nescio quid visu dubium incertumque moveri corporaque ire videt.* similiter Niso et Euryalo iter pergentibus equites ex urbe Latina praemissi accedebant (V. A. IX 371) *iamque propinquabant castris murosque subibant,* cum subito properantes conspicati sunt. qua re turbatus *clamat* (V. A. IX 375 sq. Th. X 393) uterque equitum dux: *state, viri* vel *cohibete gradum.* tacent illi et fugere student. qua in fuga et impetu describendis Thebaidos auctor eiusdem Homeri libri memor videtur fuisse, quo Ulixes, cum Dolonem persequatur, (Il. X 372)

ἔγχος ἀφῆκεν, ἑκὼν δ᾽ ἡμάρτανε φωτός.

Amphion autem (Th. X 395 sqq.) *hastam*
expulit ac vanos alte levat eminus ictus
adfectans errare manum.

Hopleo tamen ab Aepyto necato Dymas sicut Dolon hostes implorare conatur, non ut sibi, sed ut regis corpori quod servaverat parcant. quibus precibus se commoveri simulantes et Ulixes et Amphion, quaenam consilia adversariis sint, comperiri posse putant; et cum Dolon qua est ignavia pareat, Dymas se interfici quam suos prodere malit, uterque occiditur. occisum una cum Hopleo praedicat Statius verbis, quae supra attulimus.

Alterius narrationis, quae legitur in Thebaidos libro I inde a v. 197, quamquam in extrema parte Aeneidem non plane neglectam esse conicias, pleraque tamen ex Homeri carminibus ita sumpsisse videtur poeta, ut complura deorum concilia, quae ille narravit, in unum coniungeret. primis enim in versibus, quae in Iliadis I libro de deis coactis exponuntur, eadem inesse haud difficulter cognoscas, cum ab utroque poeta edoceamur Iovem intrare, postquam ceteri convenerint, intrantem autem omnes ex subselliis surgentes vultibus demissis salutare. apud Homerum (Il. I 533 sqq.):

Ζεὺς δὲ ἑὸν πρὸς δῶμα. θεοὶ δ᾽ ἅμα πάντες ἀνέσταν
ἐξ ἑδέων, σφοῦ πατρὸς ἐναντίον. οὐδέ τις ἔτλη
μεῖναι ἐπερχόμενον, ἀλλ᾽ ἀντίοι ἔσταν ἅπαντες,

apud Statium (Th. I 201 sqq.): Iuppiter
mediis sese arduus infert
ipse deis, placido quatiens tamen omnia vultu, [1])
stellantique locat solio; nec protinus ausi
caelicolae, veniam donec pater ipse sedendi
tranquilla iubet esse manu.

ita deorum patre introducto, non dubito quin, quibus verbis ille in contione primi Odysseae libri usus esse dicatur, poeta Romanus recordatus sit. nam homines caecos atque nefastos adeo sceleribus progredi, ut ea prorsus non condonare liceat, etiamsi ipse velit, ille sic conqueritur (Th. I 214 sqq.):

terrarum delicta nec exsuperabile Diris
ingenium mortale queror. quonam usque nocentum
exigar in poenas? taedet saevire corusco
fulmine e. q. s.
(224) *nunc geminas punire domos . . . . . descendo.*

simili modo Homerus deum exorsum esse narrat (Od. I 32 sqq.):

ὢ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται·
ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ᾽ ἔμμεναι, οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ

[1]) Nescio an versuum, qui paulo antecesserunt, Statius memor fuerit (Ho. Il. I 528—30), quos Phidiae in statua fingenda obversatos esse dicunt.

σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν,
ὡς καὶ νῦν Αἴγισθος e. q. s.

in sermone ipso, quo de Thebanis agitur, nihil fere reperias, quod ex Homero sumptum dicas; de illo tamen priore colloquio admonemur, cum etiam hic Iuppiter cum Iunone, quae ab hostibus stat, rixetur atque, quod dixerit, mutari posse neget. (Th. I 290 sq.)

Stygia aequora fratris
obtestor, ... inquit,
nil fore, quod dictis flectar.

eadem fere superbia in Iliade utitur, cum in uxorem invehatur (Il. I 562 sqq.):

πρῆξαι δ' ἔμπης οὔτι δυνήσεαι, ἀλλ' ἀπὸ θυμοῦ
μᾶλλον ἐμοὶ ἔσεαι. τὸ δέ τοι καὶ ῥίγιον ἔσται.
εἰ δ' οὕτω τοῦτ' ἐστίν, ἐμοὶ μέλλει φίλον εἶναι.

ad hoc concilium concludendum quae additur descriptio, ambigas utrum Homero an Vergilio debeatur. initio enim V libri Odysseae Iuppiter identidem a Minerva rogatus, ut Ulixem domum redire pateretur, tandem Mercurium ad Calypso mittit, qui illum diutius retineri vetet. (Od. V 43 sqq:)

ὡς ἔφατ', οὐδ' ἀπίθησε διάκτορος ἀργειφόντης.
αὐτίκ' ἔπειθ' ὑπὸ ποσσὶν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα
ἀμβρόσια χρύσεια, τά μιν φέρον ἠμὲν ἐφ' ὑγρὴν
ἠδ' ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν ἅμα πνοιῇς ἀνέμοιο.
εἵλετο δὲ ῥάβδον, τῇ τ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει
ὧν ἐθέλει, τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει.
τὴν μετὰ χερσὶν ἔχων πέτετο κρατὺς ἀργειφόντης.

idem fere Statius, cum Mercurium a patre iussum ad Plutonem proficisci narret. (Th. I 303 sqq.)

paret Atlantiades dictis genitoris et inde
summa pedum propere plantaribus inligat alis
obnubitque comas et temperat astra galero.
tum dextrae virgam inseruit, qua pellere dulces
aut suadere iterum somnos, qua nigra subire
Tartara et exsangues animare adsueverat umbras.
desiluit e. q. s.

quos versus poetam Homericis simillimos reddidisse concedes, nisi eum, quod baculo illo deum mortuorum animas regere posse dicit, ad Vergilium quoque respexisse cognoscas, qui eiusdemmodi descriptionem ita protulit (V. A. IV 238 sqq.)

ille patris magni parere parabat
imperio et primum pedibus talaria nectit
aurea, quae sublimem alis sive aequora supra
seu terram rapido pariter cum flamine portant.
tum virgam capit: hac animas ille evocat Orco
pallentis, alias sub Tartara tristia mittit,
dat somnos adimitque et lumina morte resignat.
illa fretus agit ventos et turbida tranat
nubila.

quodsi hos locos contendimus, nullum fere vestigium indagare possumus, quo Statium non modo Vergilii, sed etiam Homeri exemplum secutum esse manifestum sit, cum quaecumque attulit, ni fallor, ex Aeneide sumere potuerit, nisi ob eam causam Statio etiam Odysseam obversatam esse opinemur, quia vocabulis *inde . . . propere* Graeca, quae sunt *αὐτίκ' ἔπειτα* conversa videntur in linguam Latinam et enuntiatum substantivo *virgam* additum similius est ordini atque generi dicendi Homerico quam Vergiliano; hic enim interposita altera virgae arte poeta brevissime dicit *dat somnos adimitque*, Statius voci, quae est *virgam*, enuntiatum relativum subiungit hoc: *qua pellere dulces aut suadere iterum somnos . . . . adsueverat.* quod haud dissimile est illis versibus: *τῇ τ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει, ὧν ἐθέλει, τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει.* hanc tamen quaestionem in medio relinquemus.

Una cum parte antecedenti brevi ceterae omittentur, quibus agemus de rationibus quae inter Statium et Senecam intercedunt, de Senecae Phoenissis, de Statio Ovidii et Lucretii imitatore, de imitationibus Vergilianis, de versibus Thebaidos perperam spuriis habitis, de Lucani et Valerii Flacci exemplo, de locis Statio cum Silio Italico communibus, de P. Papinii arte poetica.

Scriptor de vita sua.

Natus sum Rudolphus W.O. Helm Friderici f. Berolini postridie Kal. Mart. a. h. s. LXXII matre Elmira e gente Lowien. parentes quos adhuc superstites pio animo colo, ut fide initiarer evangelica, curarunt. puer sex annorum in gymnasium regium, quod sub auspiciis et patrocinio Guilelmi I regis Berolini conditum est, receptus per undecim annos primo elementis litterarum, deinde doctrinis liberalibus imbutus sum; quo in aetatis spatio summa in me usos esse benevolentia, qui munere docendi in illo gymnasio fungebantur, Iohannem Draheim, Albertum Mosbach, Fridericum Schlee etiamnunc sincere recordor. ex his A. Mosbach, qui quod praematura morte abreptus est maxime doleo, et F. Schlee etiam maturitatis testimonio instructum consilio optime adiuverunt in studiis philologicis suscipiendis, quibus inde ab aestate a. LXXXIX intentus fui civibus academiae Berolinensis adscriptus. scholis me docuerunt viri clarissimi Curtius, Diels, Dilthey, Dillmann, Döring, Harnack, Hübner, Kaftan, Kekulé, Kirchhoff, Paulsen, Robert, Rothstein, E. Schmidt, de Soden, Strack, de Treitschke, Vahlen. quibus omnibus cum gratias ago, tum Aemilio Huebnero, qui summa cum benignitate imperito ducem se praebuit et, ut societati philologicae ab ipso institutae interessem, per quinquies sex menses permisit. nec minus facile Adolphus Kirchhoffius ad exercitationes epigraphicas per biennium aditum mihi concessit. denique per duos annos sodalis, per postremos sex menses senior fui seminarii philologici, quod qui moderantur Vahlenus et Kirchhoffius tanta in me contulere beneficia, ut me satis magnam eis gratiam verbis referre non posse sciam; summam tamen operam navabo, ne umquam, quantum illis viris optimis humanissimis debeam, oblitus esse videar.

Sententiae controversae.

1) Stat. siv. III 3,40 scribendum est: *similis gemui proiectus ad ignes* (codd: *ignem*).

2) Stat. Theb. IX 19 sq. legendum est:

non (cod.: *nos*) *ferrum immite facesque*
illis, nuda odia, et feritas iam non eget armis.

3) Sil. Ital. Pun. II 400 *una* scripsisse poetam puto (codd.: *unam* aut *unum*).

4) Sen. Phoen. v. 100 et eiusdem Thy. v. 388 sq. iniuria proscribuntur.

5) Sen. Thy. 420 hanc propono lectionem

animus haeret ac retro cupit
corpus referri (codd: *referre,*) *moveo nolentem gradum.*

6) Cat. c. LXIV 16 scribi iubeo:

illa, ut non (codd.: *atque;* om. O) *alia, viderunt luce marinas*
mortales oculis nudato corpore nymphas.

7) Macr. Sat. V 11,1 *impensius* sententiae satisfacit, non codicum lectio *densius.*

8) Verbum *multandi* apud scriptores exstare puto derivatum ab adiectivo *multus,* cui subest eadem vis atque verbo *multiplicandi* (coll. Stat. Theb. VIII 307 *multasti* II 672 *multatum* Verg. Aen. XI 839 Plaut. Stich. 420 *multaverim* Gloss Placidi Gramm s. v. *mulcantem multantem*).

9) Theocr. IX 30 aptus est, modo emendetur *φύσῃ* (codd.: *φύσης,* k. *φύσῃς*).

10. Theocr X 5 cum cod. Ambrosiano k legendum est:

ποῖός τις δείλαν τυ καὶ ἐκ μέσω ἄματος ἐσσῇ.

11) Theocr. XIV 38 *καλά* scribendum est (codd.: *μᾶλα*).

12) Theodectem fabulam fecisse quae inscribitur Tydeus non constat, quia Aristot. Poet. 1455 a 9 *Τυδεῖ* corruptum videtur ex *Λυγκεῖ.*

Druck von G. Zahn & H. Baendel, Kirchhain N.-L.